



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia VVestfaliæ**

**Schaten, Nicolaus**

**Nevhvsii, 1690**

Alia Epistola Ejusdem Gregorii Papæ II. Ad universum populum  
Thuringorum. Vt Bonifacio Episcopo suo in omnibus obedient, & Episcopia  
atque Ecclesias construant.

**urn:nbn:de:gbv:3:1-367846**

## G R E G O R I I P A P A E I I .

Ad universum populum Thuringorum.

*Vt Bonifacio Episcopo suo in omnibus obdiant, & Episcopia atque Ecclesias construant.**Gregorius servus servorum Dei universo populo Thuringorum.*

**D**ominus Jesus Christus Filius Dei, et Deus verus, de cœlis descendit, homo factus est, et pro nobis pati et crucifigi dignatus est, et sepultus ter tia die resurrexit à mortuis, et ascendit in cœlum: discipulis etiam suis sanctis ait: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: ipse in se credentibus vitam aeternam promisit. Cupientes ergo vos in perpetuum nobiscum gaudere, ubi finis gaudii nullus est, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, sed gloria sempiterna; ideo fratrem nostrum sanctissimum Bonifacium Episcopum ad vos direximus, ut vos debeat baptizare, et fidem Christi docere, et ab errore ad viam salutis deducere, ut salutem habeatis et vitam sempiternam. Vos ergo ei in omnibus obedite, et sicut patrem vestrum illum honorate, et ad ejus doctrinam corda vestra inclinate. Quia illum non pro lucro aliquo temporali conquirendo direximus, sed pro lucro animarum vestiarum ad vos eum misimus. Diligite ergo Dominum, et in nomine ejus baptismum suscipite: quia Dominus Deus noster, quod occlus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis ascendit, preparavit diligenteribus se. Nam recedite à malis operibus, et agite bene: non adoretis idola, nec immoletis carnes, quia Deus non recipit ista: sed in omnibus secundum quod vos frater noster Bonifacius docuerit, observe et agite, et salvi eritis, et vos et filii vestri in sempiternum. Facite ergo et domum, ubi debeat ipse pater vester Episcopus habitare, et ecclesias ubi orare debeat, ut Deus indulgeat peccata vestra, et donet vobis vitam sempiternam.

Scripsit idem

## G R E G O R I U S P A P A I I .

Ad clerum, ordinem, &amp; plebem,

*Cui Bonifacius ordinatus fuerat Episcopus in hunc modum.**Gregorius episcopus servus servorum Dei, clero, ordini, et plebi consistenti Thuringi, dilectissimi filii in Domino salutem.*

**P**robabilibus desideriis nihil tarditatis praestantes fratrem jam et coepiscopum nostrum Bonifacium vobis ordinavimus sacerdotem. Cui dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes presumat illicitas, ne bigandum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expenitente, vel curiae, aut cuiilibet conditioni obnoxium notatumque, ad sacros ordines permittat accedere; sed si quos hujusmodi forte repererit, non audeat promovere. Afros passim ad ecclesiasticos ordines prætendentes nullaratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichei, aliqui rebaptizati